



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LVII. De divinis Personis in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LVII.

De Divinis Personis in genere.

DE variis nominibus in Trinitate usurpari solitis, ut de Personâ, Subsistentiâ, Hypostasi, Substantiâ, Naturâ, Essentiâ, &c. disputant hic aliqui: sed de his latè dictum est supra, Disputatione 48. per totam: quare nil opus est hæc ulterius in præsentî discutere.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quedam circa Divinas Personas.

I. Certum est in Deo dari tres Personas.

Tres item sunt in Deo Hypostases.

II. Datur ratio Personæ omnibus tribus Personis communis.

Ratio Personæ non est prædicatum transcendens.

III. Cur dicat S. Thomas Personam in divinis non esse universalem.

Aliud est de Personis specificativè, aliud reduplicativè sumptis.

IV. Ratio Personæ divina ut sit est generis.



RES in Deo esse Personas, fide certum est, & sapius ab Ecclesiâ definitum: sic enim in symbolo S. Athanasii dicitur, *Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Idem etiam habetur in Concilio Lateranensi, capite *Firmiter*, & alibi. Idem etiam est de tribus Hypostasibus, postquam semel ab Ecclesiâ decretum est, quid hæc vox *Hypostasis* significet; de quo olim non levis fuit inter orthodoxos, ipsosque adeo Sanctos Patres disceptatio, ut supra vidimus Disp. 48. sect. 2. num. 3. & quarto.

Deinde datur ratio Personæ omnibus tribus divinis Personis communis. Ratio est clara: Possunt enim concipere rationem Personæ, nullâ conceptâ particulari differentiâ: ergo hæc ratio non concipitur ut ad ullam ex tribus Personis in particulari determinata: ergo ut indifferens ad omnes, sicque ut communis, idque univocè, ut rectè Suarez lib. 1. de Trin. cap. 3. num. 8. Nec audiendus est P. Tannerus hic disp. 4. q. 1. dub. 5. num. 10. qui ideo negat hanc rationem Personæ esse univocam, quia est prædicatum transcendens, instar entis; sed hoc gratis dicitur, nec ulla est ratio cur conceptus Personæ magis transcendat Personas divinas, quàm cur ratio intellectivi transcendat Michaëlem, Gabrielem, & reliquos Angelos.

Addit tamen S. Thomas hic, q. 30. art. 4. ad 3. Personam hoc modo abstractam non esse universalem, nec genus aut speciem, nempe instar universalis in rebus creatis, quæ tantum per intellectum sunt unum: hic autem Personæ, non solum per intellectum, sed etiam realiter sunt unum. Alii tamen asserunt, si Personæ sumantur reduplicativè, rationem ab iis abstractam esse propriè universalem, sic enim non involvitur Essentia divina, in qua Personæ sunt unum, sed solum Personalitates; & querere utrum Personæ divinæ, reduplicativè sumptæ, conveniant univocè, & utrum ratio ab iis hoc modo abstracta sit universalis, est querere an Relationes præcisè, seu prædicata ultimò Personas constitutiva conveniant univocè, & ratio Relationis, seu Personalitatis ut sic sit universalis.

Existimo itaque, ut in log. dixi, Disp. 34. sect. 2. num. 3. rationem Personæ divinæ ut sic esse generis, & singulas Personas divinas distingui specie: notabiliter enim differunt, cum Pater petat essentiali-

ter non produci, Filius produci & simul producere, Spiritus Sanctus petat ab utroque procedere, & nullam Personam producere; hæc autem est notabilis differentia, & arguit distinctionem plus quàm numericam.

Tres ergo divinæ Personæ distinguuntur specie, non prædicabili, nec enim Pater divinus prædicatur de pluribus Patribus divinis, numero differentibus, nec Filius de pluribus Filiis &c. Differunt ergo, specie quidem, seu notabiliter, ut numero præcedente ostensum est, specie tamen, ut ait Pater Arriaga hic, Disp. 46. sect. 4. num. 26. subijcibili, sicque ratio Personæ divinæ ut sic, respectu illarum est genus, quod definitur à Porphyrio, *Prædicabile de pluribus differentibus specie*, quamvis nullum ex iis sit species prædicabilis, seu *prædicari possit de pluribus differentibus numero*: ut communis habet Thomistarum opinio de naturâ Angelicâ.

Quæres, quo pacto tres Personæ divinæ sint *Eus à se*. Respondetur omnes tres esse ens à se negativè, id est non esse ens ab alio, seu quòd Essentiam suam non recipiant ab alio productam, quod est propriè non esse ens ab alio. Si autem sermo sit de Personalitatibus, una est à se, alia duæ ab hac, nulla tamen ab alio, cum Pater non sit aliud à Filio, nec uterque à Spiritu Sancto. Nulla verò divina Persona producitur ex nihilo, sed ex naturâ divinâ, cum quâ singulæ identificantur.

Denique circa divinas Personas notandum, non posse eas omnino dici differre in naturâ seu Essentiâ, cum eam omnes habeant numero eandem. In relationibus tamen differre dici possunt, & esse diversa. Denique si loquamur in concreto, seu de Personis ipsis, dici possunt ratione Relationum differre, cum, ut vidimus, ratione illarum realiter distinguantur. Quia tamen hæc voces *diversa* & *differre*, absolutè prolata, distinctionem sonare videntur in Essentiâ, S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. Corp. negat eas esse usurpandas.

Magni tamen auctores, ut S. Gregorius Nazianzenus, Justinus Martyr, S. Damascenus & alii absolutè affirmant Personas divinas differre. Quare Magister in 1. dist. 24. hunc loquendi modum admittit, quem sequitur Halensis 1. p. q. 44. Existimo itaque in hoc loquendi modo nullum esse errandi periculum: consultius nihilominus erit, si dicatur eas proprietatibus, aut relationibus differre. Vocem tamen *diversitas* in divinis magis vitant Patres & Theologi, quia innuere videtur distinctionem in formâ, seu Naturâ, quæ in divinis nulla est.

V. Tres Divinæ Personæ differunt specie, non prædicabili, sed subijcibili.

VI. Omnes tres Personæ sunt Eus à se.

VII. Quæ differentia, aut diversitas in divinis Personis reperitur.

VIII. Multis aliis locis asserunt Personas divinas differre.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Sintne in Deo tres substantia relativa.

I. PRIMA sententia est negativa: ita Durandus in 1. dist. 1. q. 2. Capreolus in 1. dist. 26. q. 1. Concluf. 3. Paludanus in 3. dist. 1. q. 2. art. 3. Ferrara contra Gentes, lib. 4. cap. 26. Scotus in 3. dist. q. 2. quam etiam sententiam tenere videtur Bellarminus lib. 2. de Christo, cap. 15.

II. Secunda tamen, & vera sententia docet in Deo dari tres substantias relativas: ita Cajetanus 1. p. q. 29. & 30. & Thomistae communiter: tenet etiam Suarez hic, lib. 3. cap. 4. num. 3. dicens sibi hoc videri certum: estque communis recentiorum sententia. Haec etiam videtur expressa mens S. Thomae hic, q. 29. art. 2. & q. 30. art. etiam 2. ubi substantiam, Hypostasim, & Personam in Deo asserit pro eodem esse sumendas; tres autem in Deo esse Personas, & fatetur S. Thomas, & reipsa est certissimum, ut ostendi sectione precedente, numero primo.

III. Hoc etiam testantur Sancti Patres, passim docentes, in Deo esse tres substantias, quod de relativis intelligi necessariò debet: in divinis enim, ut habet commune axioma Theologorum, non datur distinctio, ubi non est relationis oppositio. Deinde Sophronius Patriarcha in Epistola, quae habetur in sexta Synodo, act. 11. & approbatur in act. 13. Neque, inquit, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicitur in unam seipsum colligens substantiam, in unamque coeercens non numerandam Personam: Sabellianorum ista est pravitas, in unam substantiam tres confundere substantias. Eundem loquendi modum usurpat Concilium Chalcedonense, Quinta etiam & Septima Synodus, ubi dicitur, Trinitatem esse divissimam numerabilibus substantiis, & Personalibus alteritatibus, & unam Deitatem in tribus substantiis esse adorandam, sicque plures in Deo statuunt substantias. Ubi, ut constat, de substantia loquuntur, non in concreto, sed in abstracto, & ut est quid, ratione nostra, ab Essentia distinctum.

IV. Deinde tres esse in Deo substantias probatur ex doctrinà à Patribus omnibus traditâ, qui docent Christi humanitatem Verbo divino, non in Naturâ, nec in aliquo Personis omnibus communi, sed in aliquo Verbi proprio, nimirum Personalitate ejus, seu substantia fuisse unitam; propterea enim negant humanitatem Christi habere propriam substantiam, quia subsistit per substantiam Verbi. Hinc ergo clarè ostenditur Filium habere substantiam sibi propriam: sed eadem est ratio de Patre & Spiritu Sancto: ergo in Deo sunt tres substantiae distinctae.

V. Ratio denique est primò: Patres enim, ut vidimus, aiunt in Deo esse tres substantias, sed hoc verum esse nequit, si solum sit in Deo una substantia absoluta, & tres Relationes, per has enim si non sint substantiae, non magis dici potest in Deo multiplicari substantia, quam Natura, nec magis erunt tres Personae, quam tres Dii: sicut verò non sunt tres Dii, quia non sunt tres Deitates, ita si non sint tres Personalitates, non erunt tres Personae.

VI. Secundò, in substantiis creatis id quod ultimò terminat, & constituit unum substantiale completum, est substantia: sed proprietates personales sunt, quae nostro modo concipiendi, ultimò ter-

minant & constituunt unà cum Naturâ tres Personas, seu tria incommunicabilia: ergo haec proprietates sunt substantiae, eaque relativae, sola enim Relatio in divinis est quae distinguit, ut num. 3. ostendi.

Quod si aliqui ex Sanctis Patribus, ut S. Hieronymus & S. Augustinus negare videantur in Deo tres substantias relativas, est quia vox Hypostasim seu substantia illis temporibus necdum satis esset declarata, ut ostendi supra disp. 48. sect. 2. sed idem esse existimabant multi, quod obvia, seu Essentiam. Postquam autem, ob varias, quae contra hoc mysterium identidem emergebant, haereses, praedictae voces à diversis ex hac occasione celebratis Conciliis examinate fuerunt, declaratumque eas non pro Essentiâ, sed pro proprietatibus Personalibus esse accipiendas, negari jam nequit esse tres substantias, magis quam esse tres Personas, ut ostensum est.

Objicies: in substantiis creatis substantia non est Relatio, sed quid absolutum; ergo nec in Divinis. Negatur tamen consequentia: quamvis enim ex perfectionibus creatis manuducimur frequenter ad cognoscendas divinas, non tamen inter eas statuenda est omnimoda similitudo. Ratio autem disparitatis in praesenti est; in substantiis quippe creatis cum nulla constituere possit nisi unam Personam, non potest etiam habere nisi unam Personalitatem, sed per unicam perfectè completur; natura autem divina essentialiter petit constituere tres Personas ac proinde tres habere debet Personalitates, seu formas, vel quasi formas, per quas constituantur haec Personae, sicque tres substantias personales, eaque relativae, cum, ut dictum est, in divinis nihil multiplicetur, nisi sit relativum. Nulla etiam ex his substantiis est superflua, cum divina Essentia ob suam fecunditatem & excellentiam, tres hosce existendi & subsistendi modos essentialiter requirat.

Objicies secundò: Relatio Paternitatis exempli gratia supponit Personam Patris completè constitutam & subsistentem, tanquam principium generationis Filii, in qua fundatur Relatio, ergo Relatio non est ipsa substantia. Haec obiectio solvetur Disputatione sequente.

SECTIO TERTIA.

An praeter tres relativas detur in Deo una substantia absoluta.

PRIMA sententia affirmat dari in Deo hujusmodi substantiam absolutam: ita Cajet. hic, q. 39. art. 4. Bannez 1. p. q. 39. art. 3. Alvarez 3. p. q. 3. art. 3. Zumel hic, q. 30. art. 1. Molina hic, q. 29. art. 2. disp. 3. Fonseca lib. 5. met. cap. 8. q. 5. sect. 5. quam etiam sententiam acriter defendit P. Suarez tom. 1. in 3. partem, Disp. 11. & hic lib. 4. cap. 11. quem sequitur P. Granado hic, tract. 4. disp. 5. sect. 3. citans Okamum, Gabrielem, Richardum, Durandum, Scotum, Ferraram, & alios. Eandem opinionem tenet Bellarminus to. 1. lib. 2. de Christo, cap. 15. estque satis inter recentiores communis.

Secunda è contrario sententia negat dari in Deo substantiam ullam absolutam, sed tres tantum relativas: ita D. Bonaventura in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. & dist. 5. art. 1. q. 4. Halensis 3. p. q. 2. memb. 3. & q. 7. memb. 1. art. 3. Valentia hic, q. 13. p. 3. Albertinus tom. 2. de substantia coroll. 11.

Qua ratio ne aliqui ex Sanctis Patribus negare videantur tres substantias.

VII. Aliud est de substantia in creatis, aliud in divinis.

VIII. Una substantia sufficit naturae creatae, non divinae.

Nulla ex his substantiis est superflua.

IX. Dicitur, Relatio supponit substantiam.

I. Prima sententia est affirmativa.

II. Secunda sententia negat substantiam absolutam.

Prima sententia negat in Deo tres substantias.

Tres dantur in Deo substantiae relative.

Docent Patres dari in Deo tres substantias relativas.

Sophronius Patriarcha.

Loquuntur Patres de substantia in abstracto.

Argumenta ab incarnatione ducunt ostendunt tres esse in Deo substantias.

Ratio cur in Deo sint tres substantiae.

Quod ultimò terminat in creatis, est substantia.

SECTIO QUARTA.

Argumenta contententia dari in Deo substantiam absolutam.

coroll. 11. dub. 1. Tannerus 1. p. Disp. 4. q. 1. dub. 6. num. 8. Becanus hic, cap. 3. quaest. 9. Zuinega disp. 5. dub. 10. Arrubal disp. 109. Ariaga 1. p. disp. 51. sect. 2. eandem sententiam defendit Vasquez hic, disp. 125. & in 3. p. disp. 26. cap. 6. P. Vekenus hic, Disp. 34. cap. 3. & alii.

III. Res hac multum habet de modo loquendi. loquendi, pendetque ab illa difficultate, in quo scilicet situs sit conceptus formalis substantiae, quem cum varii varium assignent, varie etiam in praesentis resolutione quaestiones discurrent, dum ad sua quisque conformiter principia procedit.

IV. Implicat in divinis substantia absoluta. Nos ergo, cum Disp. 8. Met. sect. 5. num. 4. aliis omnibus opinandi modis rejectis, dixerimus conceptum formalem substantiae in eo consistere, ut sit ultimus terminus & complementum naturae, clarum est in nostra sententia dari in divinis substantiam absolutam non posse; esse enim nequit ultimus terminus, cum secundum omnes, natura divina, imò haec ipsa substantia terminetur tribus illis substantiis relativis.

V. Docent Patres non esse in Deo substantiam absolutam. Haec etiam videtur communis Sanctorum Patrum sententia: licet enim ex iis nonnulli ante declaratam ab Ecclesia hujus vocis substantia significationem, ut sect. precedente vidimus de S. Hieronymo & S. Augustino, unam in Deo substantiam statuerint, per substantiam intelligentes existentiam substantialem absolutam: postquam tamen vis hujus vocis, & receptus ejus in Ecclesia usus innovit, nempe ut substantia idem sit quod hypostasis, seu personalitas, Patres posterioribus saeculis, tres semper in Deo ponunt substantias, unam negant. Sic in Epistola illa Sophronii Patriarchae, sect. precedente, num. 3. citata habetur, Impium est, tam singularitas secundum substantiam, quam ternalitas in naturis. S. etiam Damascenus libro 3. de fide Orthod. cap. 6. Essentia, inquit, non subsistit, sed in Personis consideratur. Videatur Vasquez hic, Disp. 125. cap. 4. ubi plura in hanc rem affert, atque num. 15. nulum ex Sanctis Patribus, vel Graecis vel Latinis post litem de significatione vocis substantiae compositam, in Deo absolutam aliquam substantiam admisisse.

VI. Quomodo singula ex Personalitatis divinis sunt ultimus terminus naturae. Dices, ex nostra sententia de conceptu formali substantiae sequi, nullam ex tribus Personalitatibus divinis esse substantiam, nulla enim est ultimus terminus naturae divinae, cum haec vox ultimus omnem alium terminum in eodem genere excludat. Respondetur, hanc vocem ultimus solum excludere terminum ulteriorem in eo genere, non verò aequalem. Sicut in sententia communi admittente in lineam punctum terminativum, quod est ultimum in illa linea: nullus tamen negat posse divinitus plura hujusmodi puncta inter se poni penetrata, nec per hoc unum tolleretur ab alio rationem puncti terminativi, seu ultimi in illa linea: tolleretur autem, si non intimè cum eo penetratum, sed in puncto spatii ulteriori collocaretur.

VII. Differentia inter absolutam & relativam in ratione substantiae. Idem ergo est in praesenti, de ultimo termino naturae, seu substantiae; quando enim plures immediate terminant naturam, & hoc modo concomitantur se habent, ut contingit in tribus Personalitatibus divinis, nulla ab alia tollit rationem ultimi termini, & substantiae: tolleretur autem si una aliam terminaret, id enim quod ulterius terminatur, definit esse ultimum; sicque substantia illa absoluta; cum, ut fatentur etiam adversarii, terminetur tribus substantiis relativis, ipso facto amittit rationem, & conceptum substantiae. Videatur Disp. 8. Metaph. ubi haec fufius declaravi.

OBIECTUR primò auctoritas Patrum, S. Augustini praecipue & S. Hieronymi, qui in Deo statuere videntur substantiam absolutam. Confirmatur, nam Agatho Papa in Epistola quae habetur in sexta Synodo, act. 4. ait, Non trium nominum substantiam, sed trium substantiarum unam substantiam. Ad argumentum respondetur, circa auctoritatem Patrum satis dictum esse sect. precedente num. quinto. Ad id quod affertur ex Agathone dico aliam lectionem habere, unam substantiam, & ita sine dubio est locus ille legendus, nec enim verisimile est voluisse Pontificem in tam brevi periodo vocem substantiam aequivoce usurpasse, & in sensu toto caelo diverso.

OBIECTUR secundò: Relationes divinae sunt veluti proprietates, ac proinde supponunt essentiam completam, ergo substantiam. Respondetur Relationes supponere quidem Essentiam completam in ratione Essentiae, non tamen substantiam, sic enim daretur processus in infinitum, cum substantia illa absoluta non minus sit proprietas, quam Relationes (si quis eas vocare velit proprietates, cum sint, ut diximus complementum substantiale) ergo ad substantiam illam absolutam dari debet alia substantia, & sic in infinitum.

OBIECTUR tertio: Relationes haec, ut supra diximus, Disp. 50. sect. 6. sunt actiones, ergo supponunt naturam, à qua procedunt, substantiam, actiones quippe sunt suppositorum. Sed contra; nec enim qui statuunt in Deo substantiam absolutam, eam aiunt constituere suppositum, sic enim quatuor in Deo essent supposita, tria relativa, & unum absolutum, quod dici nullo modo potest.

AD argumentum itaque respondeo, dictum illud actiones sunt suppositorum, ad summum intelligendum esse de operationibus ad extra, idque non ex necessitate: existimo enim si Deus animam aut Angelum conservaret sine substantia, posse nihilominus & hunc & illam exercere operationes suas, non internas tantum, actus scilicet intellectus & voluntatis, sed etiam externas, motum nimirum in corporibus vicinis efficere &c. non minus quam calor conservatus sine subjecto producere naturaliter potest calorem in ligno aut ferro sibi applicatis. Actiones ergo ad extra ideo semper proveniunt à re subsistente, quia res quavis naturali quadam inclinatione ac pondere propendit ad se prius perficiendum, quam ad agendum ad extra. In perfectionibus verò internis existimo substantiam non semper primò naturam, vel ratione produci. Unde in probabili sententia intellectum & voluntatem distinguente realiter ab animam vel Angelo, existimo eodem priori naturam & signo rationis has potentias ab illis per emanationem producendas, quo ab iisdem produciuntur substantia.

OBIECTUR quartò: Essentia divina secundum se considerata, & ut praecisa à personalitatibus, est incommunicabilis alteri realiter distincto: ergo ut praecisa ab illis habet substantiam, cum hic sit effectus substantiae. Contra primò: Essentia divina, etiam ut praecisa ab illa substantia absoluta, habet non posse communicari alteri realiter

I. Respondetur ad auctoritatem Patrum.

Respondetur ad dictam quoddam Agathoni Papa.

II. Relationes supponunt Essentiam completam in ratione Essentiae substantiae.

III. Quod Relationes divinae non sunt actiones, nec voluntates, sed sunt substantiae.

IV. Actiones sunt suppositorum, intelligitur de operationibus ad extra.

Substantia conservata sine substantia est substantia.

Cur actiones ad extra sequuntur semper ad substantiam.

V. Essentia divina per se est incommunicabilis alteri, realiter distincto.

realiter distincto: ergo vel hoc habet ab aliâ subsistentiâ, sicque dabitur processus in infinitum, vel à se, atque ita ad hunc effectum non est opus ullâ subsistentiâ. Imo Disp. 8. Metaph. sect. 4. & 5, ostendi hunc non esse effectum formalem, seu conceptum subsistentiæ; sed esse ultimum terminum, & complementum naturæ.

VI. *Subsistentia dare debet incommunicabilitatem, dat illam non solum respectu suppositi realiter, sed etiam virtualiter distincti, seu non per unionem tantum, sed etiam per identitatem; hunc tamen effectum, certum est subsistentiam illam absolutam non habere, cum illa non obstante, natura communicetur per identitatem tribus subsistentiis personalibus; imò hæc ipsa subsistentia absoluta iis communicaretur, ut ostensum est sect. precedente, num. quarto.*

VII. *Deitas præcisè Relationibus est Deus, in Concilio liquidem Rhenensi dicitur, non posse aliquo sensu Catholico negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus divinitas, ergo datur subsistentia absoluta, Deus enim significat aliquid subsistens. Respondetur dictum illud Concilii nihil facere pro subsistentiâ absolutâ, de qua illic non omnino loquuntur Patres, sed solum de distinctione reali inter Essentiam & Relationem, seu subsistentiam Relativam, quas Gilbertus Porretanus distingui dicebat realiter, quod, & nihil aliud ibidem negant Patres, ut latius dictum est supra, Disp. 53. sect. primâ.*

VIII. *Ad argumentum itaque dico, in nullo sensu catholico negari posse, quin Deitas sit Deus realiter, de qua solâ identitate, ut dixi, loquuntur Concilii illius Patres; quid autem sit Deitas, præcisè in se concepta, & sine Relationibus, nihil definiunt: distinguo itaque propositionem illam, numero præcedente positam: Deitas præcisè Relationibus est Deus realiter, & identicè, concedo antecedens, hoc enim nihil aliud est, quam dicere eam à parte rei cum Relationibus esse identificatam: Deitas præcisè Relationibus est Deus formaliter, & in mente, nego antecedens.*

IX. *Tandem circa significationem hujus vocis Deus, in qua vim maximam ponunt contrariæ sententiæ auctores, dico vocem Deus in recto importare naturam divinam, in obliquo autem unam aliquam ex tribus personalitatibus. Hinc fit, ut quantumcunque in mente varietur Personalitas, semper tamen sit idem Deus, imò unus & idem est Deus cum unâ, & cum omnibus tribus personalitatibus acceptus: rectum quippe, nempe*

Deitas, est semper idem; concreta verò, ut in Logica dici solet, ad unius recti variationem multiplicantur: sicut autem Persona in recto dicit Personalitatem, & propterea sunt tres Personæ, ita Deus in recto dicit Deitatem, sicque quantumvis multiplicentur Personæ, est tantum unus Deus, ut bene Suarez hic lib. 4. de Trin. cap. 7. & Molina 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. videtur quo mens S. Thomæ hic, q. 39. art. 1. corp. & art. 3. ad quartum: de quo fusè infra, Disp. 60. sect. 1.

X. *Objicitur sextò: Essentia divina sumpta absolute, est substantia completa, independens &c. ergo sic accepta subsistit. Respondetur sicut supra, num. 2. esse substantiam completam in esse Essentiæ, independentem &c. hoc tamen non habet à subsistentia, cum hic, ut diximus, non sit conceptus subsistentiæ, sed hæc omnia habet præcisè ex eo quòd sit existentia substantialis, actus purus &c. ad ista ergo nil opus subsistentiæ.*

XI. *Objicitur septimò: Subsistere est perfectio simpliciter simplex, ergo est quid absolutum. Negatur tamen consequentia, quamvis etenim habere aliquam subsistentiam, sicut etiam habere aliquam personalitatem sit perfectio simpliciter simplex, non tamen hinc sequitur debere subsistentiam illam esse absolutam. Etsi ergo, ut supra dixi, Disp. 55. sect. 1. num. 7. & 8. nulla ex Personalitatibus divinis in particulari sit perfectio simpliciter simplex, habere tamen aliquam est, cum in quolibet melius sit esse subsistentiam, quam non esse. Sicut si esset materia, quæ tantum foret capax octo vel decem formarum materialium, ejusdem planè perfectionis, ignis, aquæ, aëris, terræ, & similibus, quamvis non sit illi melius esse sub hac in particulari formâ, quam sub illâ, melius tamen ei est esse sub aliquâ ex illis, quam sub nullâ.*

XII. *Objicitur octavò S. Thomas. Respondetur, in distinctionibus quidem insinuare ipsum interdum hujusmodi subsistentiam absolutam, in partibus tamen mutavit sententiam: sic enim 1. p. q. 29. art. 2. ait subsistentiam & suppositum, idem significare: & 3. p. q. 3. art. 3. Quod, inquit, est subsistens in divină naturâ, consequens est, ut sit persona: cum ergo subsistentiam sumat pro supposito, seu personalitate, quando voce tenus nunquam concedere videtur subsistentiam absolutam, per subsistentiam, ut rectè notat Tannerus hic, Disp. 4. q. 1. dub. 6. intelligit solummodo existentiam substantialem.*

Quid Deitas quid Persona dicitur in re-cto.

Essentia divina est perfectio completa, non tamen subsistens.

Quomodo subsistere sit perfectio simpliciter simplex.

Res hac declaratur exemplo.

S. Thomas non agnoscit in Deo subsistentiam absolutam.

